DE MEDICINÆÆ SCIENTIIS AUXILIARIIS DISSERTATIO INAUGURALIS...

Giuseppe Picecco

DE

MEDICINÆ
SCIENTIIS AUXILIARIIS

Dissertatio Inauguralis

QUAM

UT MEDICINÆ LAUREA HONESTARETUR

OFFERBBAT

PICECCO JOSEPHUS

FORUMJULIENSIS

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

MDCCCXLII

HONORATISSIMO

AC

AESTIMATISSIMO VIRO

DOM. DOM.

ABB. FRANCISCO BERNARDIS

PATRUO SUO AEQUE INSIGNI

IN PERENNIS

VENERATIONIS ET GRATI ANIMI

MONUMENTUM

SACRAS VULT

HAS SCIENTIARUM ACCADEMICARUM

PRIMITIAS

DEVINCTISSIMUS

NEPOS ET AUCTOR

Conservatio sui ipsius unum ex primis cogitatis fuisse debet, quod mentem occupavit gentium mortalium; nam expositi ab ortu permultis eventis nocentibus et infirmitatibus, et pro tempore quidem media quaerere debuerunt ut illis providerentur. Hinc *Plinius* recte observat, quod si populi absque medicis adsunt, minime vero absque medicina. Sed antequam leges securae statuerentur, et valida jacerentur de hac arte fundamenta, plane demonstrant flexuositates per quas circuivit Medicina ab initio obviarum observationum et in curriculo saeculorum nostros dies usque, in quibus, detectionibus habitis ingeniorum permultorum et nec adeo inopium, faceque sanae phylosophiae, vix a cunabulis sublata, quibus somniculosa degebat, utilibusque applicationibus induta; ut ipsa an ad scientiarum sanctuarium propulsa sit, non adhuc possimus asseverare.

Medicus philosophus necessitate coactus individui conservationis, et innato istinctu facultates suas adaugendi, in mediis inscitiae tenebris novum ac nullis terminis definitum cursum reseravit sibi; illum variabili ac inaequali itinere effluit, nunc comprehensus longum tempus incassum cum furore et feritate luctando; nunc resumptis viribus, majori vigore et successu inchoato itinere sese jaculando; dumque post tantos prodigiosos conatus ardoris et constantiae coram potentiora impedimenta; dum post tantas jacturas, sed numerosiores victorias toleratas ac perlatas ordinatim contra errores

ac praejudicia saeculorum quibus occurit, credit in puncto tandem metam offendere adeo oblongae viae, eo tantum meta progreditur atque a suo conspectu amovetur, quantum curriculus suus extenditur, rapidioresque sunt progressus.

Rudis primis temporibus a superficialibus tantum ac paucis observationibus, casu oblatis, exornabatur (1). Aliqui onerati ex. gr. magna alimenti quantitate ac pravae qualitatis, sublevatique a natura vomitu; vomitum excitatum esse usu nonnullarum plantarum; casus et observationes erant quae ferre potuerunt perutiles consequentias. Usus plantarum ignotae naturae, effectus producentes notabiles, eos induxerunt sejunctim virtutem ipsarum experiri: magisque hoc efficiebatur apud populos per diversas conditiones coactos quibus vivebant, morbo aliquo apprehensi cum fuissent ad notam actionem alicujus plantae confugere. Tali pacto Ægyptii, qui considerari merentur veluti primi in redigendo ad principia, et in subjiciendo methodos indeterminatas et arbitrarias, quibus homines adhaerebant, ad regulas; egebant magis ac aliorum locorum Medicina: hocque pro numero majori morborum qui manifestantur ex Nili inundationibus, canalium constructionibus, ab aqua insalubri, aere calido et vaporum nocentium inquinato. Nec aliter Marsi, populus qui degebat prope montem Circellum, et quibus imperavit Tusca Circe (2), ut essent illaesi a morsu serpentium mirabilem acquisiverunt peritiam succium nonnullarum plantarum; quapropter Æschylus tribuere voluit haerbis nostrarum re-

(1) Goguet. De l'origine des lois, des arts et des sciences. I. Partie
(2) Plinius l. 25.

gionum potentem influxum, et Martianus Capello scribebat *Etruria remediorum origine celebrata.*

Medicina cum homine simul nata a necessitate, ab istinctu impulsus primos accepit. Cum ultra ideae impellerentur aliis modis, ipsa eo magis quidem adaugere caepit; statuere possumus post istinctum, eventus et observationem in causa esse quod elementa augerentur. Sic in aegrotantibus ad pietatem pubblicam Babyloniensium et Ægyptiorum expositis, quaerebantur a viatore similitudinis inditia cum morbis aliis vicibus notatis, ut modis ipsis illis succurrerent. Appendebantur tabulae templis Epidauri, Coi, Vulcanique in Memphi ut publicae inservirent instructioni, et legebantur quaedam phaenomena morbosa cum succis quarumdam plantarum sanata, quae sufficiebant ut usus remedii cujus opus esset, suaderetur casibus similibus (1), quamvis supposita similitudo dein redargueretur. In posterum cum numerus adaugeretur praescriptionum istarum, convenit necessario illas ordinare. Illi quibus hoc officium imponebatur, agnoverunt particulatim compositionem nonnullorum remediorum; virtutem eorum comparationis ope addidicerunt judicare, cognitiones exinde latiores fiebant. Confugerunt ideo homines ad hujusmodi eruditos, et illos criticis occasionibus vocare caeperunt. Hucusque Medici, ait Goguet, minus judicii quam memoriae egebant. Observationes porro pedetentim pedetentim extensiores, utilitates et damna saepius non expectata nec metita, experimenta numerosiora audaciaque in posterum probarunt. Pessime computata relatio

(1) Mos ipse advertebatur aliis regionibus (V. Plin. lib. 29), secundum quem et Strabonem, Hippocrates ab istis publicis tabulis magnam partem suarum notionum eduxerat.

factorum forsan inter se similium, fallax analogia phaenomenorum, causarum et derivationum, tot apparatum efficiebant praeceptorum, tot subsidium experimentorum, solamque facem inductioni et methodo curae. Credulitatem adde hominum, qui, morbos effectus putabant irae Deorum, precesque tali ratione erigebant Numinibus, potius quam ab auxiliis humanis expectare curationem. Et quis erit, qui, nisi aliae scientiae Medicinae opem ferrebant, jam ab ortu suo ictum decisivum datum fuisse, negaverit?

Imitatio rudis et tacita, dolosa similitudo morborum, consideratio separata phaenomenorum absque relatione, malus sermocinandi modus fundamentum erant medicinae. Observationes atque experimenta ab uno latere instituta, ea tanta exitus infausti signata offerre debebant, quanta boni successus coronata, contra fallacem similitudinem remediorum et morborum: hinc incertitudo eventus, diffidentia experiendi, cognita ignorantia inter morbum et morbum, nec non symptomata. Ni aliud eveniret ad Medicinae vitam opportebat ergo, ut bene computatum ratiocinium observationes illustraret, et experimentis lumine inserviret: desiderandum erat artem habere sermonem, qui ultra superficiem factorum ipsorum permearet. Et contra opinionem Ægyptiorum, qui credebant constitutionem corporis ipsam esse apud omnes, contra experientiam quotidianam putantes morbos non diversis modis necti, summi erat momenti varietatem temperamentorum supputare, aetatis, eventus morbosos, talique pacto parum luminis saepe saepius offerre descriptionem morborum observatorum et methodum sanationis. Opportebat adparentes, essentiales, leves, considerabiles dissimilitudines signare,

et pretium distinctum figere. Opportebat ideo causas moventes investigare phaenomenorum, alterationes quaerere legum naturalium organismi viventis, sedem morbi, atque ab ista perturbatione morbosa quanti ponderis sint phaenomena quae evolvuntur et cursum comitantur.

Medicina vero jam a prima sua nativitate periisset, nisi deprehensio, contrarietas, eventus, novitas morbosarum combinationum primos Medicos studio cogerentur corporis humani dispositionum naturalium, ejus structurae, coacti tali modo fundamenta propellere prima Physiologiae et Pathologiae. Nisi a sana Physiologia profecti, impossibile erat veras adsignare causas perturbationum morbosarum, sedem statuere, gravitatem; ab hacce saltem ut phaenomena segregarentur, quae quamvis a fallaci similitudine penderent, diversae originis erant; ut illa unirentur quae futilis tantum ac superficialis differentia oculo vulgari sejuncta tenebat. Studium inde imperatum fuit Physiologiae a necessitate concertus illos naturales agnoscendi, et vires, quae causae erant variorum et inexplicabilium phaenomenorum, quae primos indagatores in tristissima implicatione ponebant.

Et Pathologia studiorum physiologorum effectus haud potuit absque illis ullum indirecte intendere gressum. Ars curationis equidem nil alio progressus nisi historiae naturalis studio, hoc est cum Celso, « ita ut morborum curatio et rerum naturae contemplatio sub iisdem auctoribus natae sint. »

Sed donec aegrorum curandi modus non in arbitrio aderat medicorum, cum illi constanter praeceptis in quibusdam sacris libris signatis niti nempe obligaren-

tur; donec, ut efficaciora redderent remedia, adjiciebant studio artis propriae illud astrologiae, mysticorumque nonnullorum rituum, nec non superstitiosorum actuum; donec morbis internis neglectis, externi tantum curabantur; donec superstitio vigebat in abjectis ponere qui manu tangebat corpus ejusdem ac suae naturae (Diod. l. I.); donec impossibile erat humano ingenio in factorum austera analysi permeare, phaenomenaque in eorum nexu et manifestandi ratione quaerere, in sede persequi; defuit Medicina. « Nello studio della Fisiologia e Patologia, ait Tommasinius, i fondamenti esistono di qualunque medica dottrina, donde ne nasce il linguaggio e la Filosofia. Si ragiona al letto degli infermi col soccorso della Fisiologia, che dà le cognizioni della struttura sui giuochi e movimenti del corpo vivente. Dipendono dallo studio di queste scienze quel medico criterio e quell'analisi che distinguono la Medicina dall'Empirismo. » Hoc sane ab universalitate Medicorum jamdudum existimatum; jugo concusso nempe Empirismi, ratione experti, submissi fuerunt, forsan ignari, prudenti Phylosophiae.

A phaenomenis sejunctis, ullo absque nexu nec famulatu, comparationem accuratiorem instituere coacti, priusque segregata dein a pura analysi juncta, comparata, classificata, principia generalia educta, lumen aliquod sibi attollerunt. Nec infaecundae hae dovitiae remanserant; ad causas aut internas aut externas evecti, in intima textura partium quam morbum evadebat, permeaverunt; symptomata quo adhaerebant puncto ponentia, comparatio inter illa existens, efficiebatur. Et ipsi Empirici, historiam et similitudinem casuum saltem considerantes, abstractis meditationibus incumben-

tes in analogia factorum, et qui credunt inimico nomine insigniri contra dogmaticos, thaeoriae alicujus naturae abdicare nequeunt, et facta ipsa analysare coacti sunt, et quamvis obscuram, phaenomenorum sedis, characteris morbi aliquam sibi reddere rationem.

Etsi praestantia studia fuissent, Physiologia et Pathologia multis annis inter somnia physicae rudis ac superficialis falli debuerat, nec non logicae sophisticae et obscurae philosophiae. Qualis historia sicuti medica, picturam offert ita cum incessu et fato spiritus humani reluctantem, apudque firma monumenta rationis, vestigia imaginationis aberrationum? Nobis haec ars ordinatim offertur deturpata a cunctis praejudiciis philosophorum et scolarum: certitudine porro asseverare possumus, numquam fuisse scientiam, quae tot errata aevorum diversorum in se retulisset, adeoque decorari voluisset doctrinis variis, quamvis oeconomiae animali non adcomodandis. Numeri Pythagorae, philosophia Democriti atque Epicuri, Peripateticorum somnia, subtiles visiones Platonis, chaemicus furor Paracelsi et Wan-Helmontii, aeter Cartesii, et alia varia arbitraria argumenta, dogmata obscura et chimaerica, Medicinam multos per annos dominata sunt, detinueruntque progressus. Simpliciores leguntur observationes et operae accuratiorum scriptorum temporis cujusvis, erroribus suffusis, erroneis prospectionibus, quae contraria videntur praeclaro ingenio aliunde offerentibus. Hypotheses corruptae emolumenta ideoque amittere quae promittebant: nobis tandem ostenduntur pathologia, materies medica, praxis, jam longe e philosophica illa magnitudine, simplicitate ac oeconomia principiorum; quae characterem austerum infigunt ratiocinationibus;

quae aditum contradictionibus prohibent; quae spiritum consuescunt solum demonstrationibus dedere; quae illum amovent a conclusionibus magnis ex desumptis phaenomenis particularibus et superficialibus. Imperium forsan antiquarum opinionum, contemporaneorum invidia, aut consuetudo idearum jam receptarum illo tempore quidem eludere potuerunt conatus ingeniorum qui praestantiorem reddere statum Medicinae tentabant; an genii isti ac producta praecocia aetatis adhuc immaturae huic mutationi universali considerentur; an sors epochae illius fuisset, ut quibusdam partibus scientiarum deficerent opportunitates, media, ingenia, observationes, detectiones, certe in curriculo plurimorum saeculorum analysis scientiis naturalibus non admovebatur; gustus pravus ratiocinandi progressus impedivit, furor hypothesium, physica, chaemia longo tempore captiva Paracelso, Silvio detinebatur. Anatomia et historia naturalis ne profectum tulerunt summorum hominum conatuum; et saepe saepius superficialiter circumeundo, non illa lato sensu conspiciebantur, relationes educebantur, principia et adplicationes generales. Sic Medicina sorti semper scientiarum ipsarum suspensa, usque ad XVIII. saeculum felici doctrina destituebatur. Cancellarius *Baco* sic illam dipingit. « Medicina magis ostentata, quam elaborata fuit; etiam magis elaborata quam amplificata, cum labores in eam insumpti, potius in circulo, quam in progressu se exercuerint. Plurima enim in ea videntur a Scriptoribus iterata, addita pauca. » Illo tempore tandem metaphysici, physici, naturalistae novum instituerunt iter; talique ratione scientias quae Medicinam comitantur ad perfectionem impellendo. Et revera huicce

epochae lux splendidior effundebatur in cunctis cognitionum partibus: ante ipsam sensim sensimque contradictiones principiorum, credulitas prodigiorum, axiomata et praejudicia ab inertia et habitudine aedificata, disperdebantur. Iter securius patefactum progressus reseravit cognitionibus investigatorum, utiles ab inutilibus elucubrationibus segregando, observationi omnes scientias submittendo, observationes vero earumque conclusiones philosophiae. Imperiosa potestas aequae rationi locum cessit: steriles et abstractae speculationes, utilibus et sodis indagationibus; fervor experimentorum extenditur in jactura vanarum larvarum ingenii et phantasiae. Derelinquuntur desertae tenebrosaeque regiones idealis ac misteriosae metaphysicae, et praestantiori gustu mundus sensibilis realisque colitur. Summi, veri, sublimis amor, cognitionum utilium et instructivarum, acquisitiones suas extendit in ulteriorem destructionem imperii barbariei, ignorantiae, erroris. Natura tandem interrogata, omnique latere tentata ab experimentis et observationibus, cedere coacta continuis atque importunis postulatubus philosophorum investigatorum, ipsos reddere in permultis intimis ac latentibus secretis confidentes, liberoque passu in inculta ac inaccessa loca cunctarum provinciarum scientiae humanae incedere.

Haud concipere possumus nostris diebus supra humanum corpus operationes, exacta cognitione destituti dispositionis et ordinis suarum partium, Anatomia cum sit Medicinae et Chirurgiae fundamentum. Videtur ergo naturalis opinio, anatomiam perantiquam ac medicinam et chirurgiam esse: contrarium vero nobis offert historia. Hac absque scientia impossibilis evadit cogni-

tio causarum, et plurimorum morborum sedis. Quamvis porro consuetudo antiquissima fuisset animalia aperire variis ob causis; cum notum sit primos Medicos quidem considerasse vulnera, fracturas; mos corpora balsamo illinire; quantum transegit tempus antequam observationes utiles redderentur, et circa quem videbant dissererent? Et si in operibus abhinc longis vacuum recensemus per Anatomiam 18 saeculorum, exceptis conatubus Celsi et Galeni, mirum non erit videri et artem medicam cum erroribus reluctantem, veritatis lumine destitutam. Ast nostris temporibus Anatomia non tantum dispositionem pandit ordinatam et formam partium quae magis eminent; verum et structuras abditiores multiplicis organisationis nostrae: differentias in cadaveribus quaerit a statu normali, imagines effectusque morborum in ipsa insequitur: comparat organismi componentia; et cum illa observasset in ordine naturali suspensa et in mixtione organica, ausa est analysim inferre, ea segregare, jungere, atque componere, prouti characteribus convenientibus quibus distinguuntur. Difficilibus porro injectionibus in implicatas regiones permeavit, et, chaemia adjuvante, fibram animalem coegit principia costituentia nuda expromere. Pari cum Anatomia gressu, Physica animalis mirabili modo progressa est, et quantum datum erat in profunda cognitione comprehensibilis texturae, ipsa giganteis passibus tetendit ad suam perfectionem. Magis ac nondum cognita fuisset textura organorum animalium, atque austera analysi substantiae submissae quibus componuntur; relationes computatae cujusvis organi cum variis vitae operationibus; divisum corpus in diversa systemata, systema unumquodque a naturalibus relatio-

nibus separatum fuit, ut illud observeretur possibili sua simplicitate. Rursus in primis suis relationibus restitutum ut influxus examinarentur; leges physiologicae submissae fuerunt experimentis, motus vitalis et mechanismus variarum operationum. Per Dialecticam novam tandem causae aestimatae et principia vitae, Medicina ad punctum sublimitatis adeo altioris sublata est, quod prius incassum arrogare sibi poterat. Collaboratores adducere qui adfuere praestantissimos non est meus scopus; nec vicissitudines quas passa est in curriculo suae historiae, quod esset superius viribus meis. Tantum sufficit epochas differentes comparare ut valide persuasione edoceamur, quantum physiologiae, pathologiae ac praxis progressus concorditer adauctae extensioni respondeant notionum anatomicarum.

Subsidio porro aliarum scientiarum egebat Medicina, ut gradum illum attingeret quemvis perfectionis. Physica, historia naturalis, anatomia comparata, chaemia, mathematica ut illam subvenissent opportebat; et conatus conjuncti scientiarum istarum, et influxus progressionum in Medicina, rudes Medicos confirmare debebant extensarum relationum quibus nectuntur.

Et Physicae subsidio eo majus egebat, ut motus explorarentur atque supputarentur; quosque ni supputare potuisset, statueret quousque adsunt subtrahunturve cognitis principiis et legibus lato sensu sumptis. Praestans examen legum motus atque attractionis, universi modus gerendi, physiologum reducuntur ad considerandas leges humani organismi, comunes circumdantibus objectis; nec non proprietates distinctas, quae separatum illum tenent intra innumerabilia entia, ex influxu quorum vivit. Ex comparatione corporum viven-

tium ab illis quae vita destituuntur; phaenomenorum in ambobus occurrentium, ideam aliquam de vita nobis tradere licet, quae clarior erit ac cunctis aliis modis illam eruendam. A sagaci physica quidem derivatur proprietas in materiali substantia propellere indagationes, naturam quaerere, ut influxus statuetur, qui ex ipsis derivatur in systematibus viventibus. Quomodo functionem visionis explicaremus, si notio nobis deesset diffusionis lucis, reflexionis per corpora opaca, et refractionis per transparentia?

Nec minores corporum proprietates a chaemia designantur. Ipsa nobis tradit principia textus organicos componentia, humorum compositionem, alterationes per morbos prodeuntes et in solidis et in humoribus: tantaeque ideo utilitatis, ut Boerheavius suo tempore scripsisset, non minorem esse necessitatem chaemiae ad medicinam, quam anatomiae.

Mathemateseos partium lumine, intelligere nomina nobis datum erit variis regionibus organismis admotis; modum phaenomena vitalitatis supputare; variorum organorum proportionem et humorum.

Pariter egebat Historiae naturalis influxu, ut comparatio institueretur inter functiones et vitam aliorum animantium et hominis; ut, ex gradationibus et differentiis convenientibus inter effectus et modum organisationis, melius redigerentur functiones vitae et producta ad debitas causas.

Socia ejus Anatomia comparata sagacem physicum tradere debebat ad detegendas in visceribus cunctorum animalium differentias, ex quibus organa ipsorum dividuntur ab humanis; vel characteres ex quibus confunduntur; talique pacto facta conjungere diversa, novum-

que systema cognitionum deducere in relationes fundatum et in differentias existentes inter entia quae comparantur.

Ex istis cunctis accersimus Medicam doctrinam valde meliorem, imo ad perfectionem cui idonea est esse redactam, non ex demonstratis relationibus tantum quibus sese nectuntur, nec non ex conjunctione recte et amistate qua comitantur; verum et ex repercussione illa mirabili, quae inter ipsas contingit. Sed posteaquam debitas laudes scientiis Medicinae auxiliariis dedimus, liceat addere, has disciplinas subsidium aeque Medicinae praestare, non vero imperium ipsius arrogare. Scientiarum auxiliarium abusus, nec parum Medicinae impedivit progressus, illam deturpando hypothesium ope, quae extraneae originis erant. Physiologorum et Pathologorum haec fuit pravitas, qui tot emolumentum possibile recipere non contenti a physica, chaemia, mecchanica, interdum ipsis submittere omnes observationes et ratiocinia tentarunt. Scientiae auxiliariae ceu ministrae considerentur; interdicendum illis dominium absolutum: mente teneamus porro vim vitalem, vim sui generis esse.

THESES DEFENDENDAE

1. Phraenologia ex observationibus et recta analysi prodiens, non infirma.

2. Praestantius imperatum est studium organon cutis, ut morbi exanthematici vera eorum sede figantur.

3. Apud Poetas, summa ratione, Musica cum Medicina in Apolline conjungitur.

4. Ars medica, tam conjecturalis cum sit, locum ampliorem dedit non solum errori, verum etiam imposturae.

5. Alterationes vis vitalis adhuc notae non habentur; unde

6. Et effectus remediorum interdum dissimiles et inexplicabiles.